


5+6/81

KALENDIS IVNIIS

MCMLXXXI



RVMOR VARIVS



RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE
LATINA TVRICENSI in ae-
dibus AKADis editur.

RVMOR VARIVS sexies in
singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis :
(annuum)

In Helvetia	Fr. 12.--
In Germania	DM 16.--
In Austria	8S 120.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 18.--

Singula specimina, qui
rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum :

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulricus Aeschlimann
Patricius Hardmeier
Martinus Meier

Impressum et dispositionem
rerum legentibus publican-
darum curat :

Patricius Hardmeier

Typographaeum :

Copy Quick, Turicum

Epistulae, mandata mittenda
sunt ad domum editoriam :

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium :

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-631'783.3

RVMOR VARIVS wird von der
SOCIETAS LATINA TVRICENSIS
unter dem Patronat der AKAD
herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis :
(jährlich)

Schweiz	Fr. 12.--
Deutschland	DM 16.--
Oesterreich	8S 120.--
übriges Europa	Fr. 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam :

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulrich Aeschlimann
Patrick Hardmeier
Martin Meier

Graphik und Layout :

Patrick Hardmeier

Druck :

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse :

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Bankverbindungen :

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-631'783.3

PRÆFATIO

Ulricus Aeschlimann omnibus legentibus s.d.p.

Non modo numerus amicorum RUMOREM VARIUM sub-
notantium in dies auget, sed etiam numerus
eorum, qui ipsi ratas partes nostro libello
publicandas mittentes efficiunt, ut in nos-
tris libellis semper maior varietas fabula-
rum inveniatur! E magno numero epistularum,
quae domo editoriae hebdomadibus praeteritis
missae sunt, duas excerpo: Quae optime demon-
strant quam iucundum saepe sit litteras ami-
corum RUMORIS VARIII legere:

Altera ad nos venit a Gaspardo Koch et a Bea-
to Kuhn, utroque discipulo Vitudurensi, scrip-
ta: E commentariis diurnis, qui Turici edun-
tur quibusque nomen "Blick" est, auctores ali-
quos nuntios elegērunt et Latine reddere co-
nati sunt. Ii inter vos, cari legentes, qui
acta diurna cottidie legentes observant, fa-
cile recognoscent nuntios infra Latine reddi-
tos:

BIGGSO BRASILIENSEM TANTVM FEMINAM IN MATRIMONIVM
DVCERE LICET

Nuntius a Rio allatus -

Ronaldus Biggsus, fur impetū in agmen ferreum factō
facinoris causa proscriptus, post raptionem in liber-
tatem reductus ut Britannus natu, e Brasilia expelle-
tur, si uxorem pristinam nomine Charmianam denuo in
matrimonium duxerit. Magistratus superior Brasilien-
sis ait: "Si Biggsus in Brasilia habitare vult, ei
Brasiliensem modo feminam in matrimonium ducere licet,
nequaquam peregrinam!"

Fortasse scitis, amici, commentarios "Blick" non raro, immo crebro et libenter de rebus acrioribus nuntiare, e.g. hoc modo:

HODIE: MACTATOR FEMINARVM ANTE IVDICEM

In aedificio praeclari Iudicii Londinii, oeco ligno quercūs tecto, his fere horis una ex causis caedis Britannicis maximis agitur. In crimen vocatus: Homo toto orbe terrarum notus, homo onera carro ferens, nomine Petrus Sutcliffus, sed saepe cognomine "Yorkshire Ripper" affectus. Accusatores isti crimini dant, plus quam tredecim mulieres eum horribilissimae bestiae similem laceravisse. Qui iam ante miras inclinationes praestitisse dicitur: Olim - terribilius lectu - sepultor corporum se plura cada-vera gustavisse confessus est.

His duobus exemplis Gaspardus Koch et Beatus Kuhn demonstrant non modo nuntios nostrorum dierum Latine reddere negotium facile factu esse, sed etiam illa Horatii - cum sint hodie antiquissima - semper valere:

"... sed magis
pugnas et exactos tyrannos
densum umeris bibit aure volgus". (Carmina II,
13, 30-32)

Utrique auctori Vitudurensi pro ratas partes gratias agimus!

Alteram epistulam accepimus ab Antonio et Genovefa Immè. Qui Pali (= die Stadt Pau in den. franz. Pyrenaeen) instituto rectores praesunt, quod in linguas antiquas inquirat sectio universitatis. Haec sunt, quae nobis scripserunt:

Pali, 25/04/1981

Spectabilis Domus Editoria Turicensis RUMOR VARIUS

In recenti libello, qui "Vox Latina" inscribitur, amplum praeconium mirati legimus de Helvetico novo commentario Latino nuper condito. Studiose igitur rogamus, ut huius novi Latini commentarii ad nos benigne mittatur exemplar. Nos quoque, quantum possumus, Latinitatem recolimus celebramus pervulgamus. Quoniam enim in Francogallia, Reipublicae Praeses annum 1980 edixisset patrimonio celebrando dicatum, discipuli Palenses in antiquarum litterarum studiis incumbentes audacter periclitati sunt Latinum condere commentariolum, cui nomen dedere M.A.S., id est: "Memento Audere Semper", quem ipsi curant Latine omnino perscribendum. Exemplar MAS separatim ad vos amicaliter sodaliterque mittimus, rogantes, si pretium operae vobis videatur, ut aliquid dicatur in "Rumore Vario" de Palensium discipulorum incepto.

Permultas vobis benevolentibus gratias agimus atque aperto animo optamus, ut Rumor Varius crescat vivat augeatur innumeris annis, Latinis litteris inter gentes provehendis.

Amicaliter sodaliterque s.d.p.
Genovefa et Antonius Immè

Huic epistulae exemplar novissimum commentarii, qui "M.A.S." inscribitur, additum invenimus. Est M.A.S. profecto quasi frater Francogallicus Rumoris Varii! Num M.A.S. - ut noster libellus - subnotari possit, nescimus. Sin autem inter vos, cari lectores, sunt, qui plura de "Memento Audere Semper" cognoscere velint: Inscriptio editoria est


Antonius et Genovefa Immè
21, Bd Sarrailh
64000 Pau (France)

Praeconio nostro nuper in libello "Vox Latina"

divulgato novos amicos in Francogallia habitantes agnovimus. Et novum amicum Germanicum parochum Rochum Habitzky, qui eodem praeconio gavisus nobis nonnulla poemata a Wernero Bergengruen, poeta Germanico, composita in Latinum versa divulganda misit. Et huic amico Duisburgensi maximas gratias agimus, quod ad maiorem varietatem argumentorum in Rumore Vario legendorum iuvat! Idem faciant, amabo, lectores in dies plures! Vivant sequentes!

Valete!

Ulricus Aeschlimann



CONFESSIONIS CAPITVLVM LIBRI CAMILLI ET PEPPONIS

LATINE REDDITVM

Ex libro, qui inscribitur "Don Camillo und Peppone", caput primum depromptum, quod est "de confessione", Latine redditum a Rocho Habitzky, parocho Duisburgensi.

Camillus parochus vir erat bene versatus in rebus apertissime denominandis. Aliquando obsceni aliquid factum est, in quo agrorum possessores vetuli ac puellulae ancillae implicati inveniabantur. Intra missae celebrationem Camillus vix sermonem simplicem neminemque laedentem incohaererat, cum unum ex illis impudicis eundemque in primo scamno sedentem aspexit. Tum omnibus rebus neglectis lepidam oratiunculam interruptit, Christi in altaris cruce pendentis caput panno operuit, ne audiret, quae sequerentur, pugnos coxis apprimens sermonem suo proprio modo finivit. Et tam validissime tonitruabat huius vasti hominis vox et tam inurbana ex ore emisit, ut lacunaria tremescerent.

Electionibus quidem publicis appropinquantibus Camillus non semel tantum hoc aperto suo modo de sinistrae factionis officialibus ita iudicavit, ut, cum Camillus vespere quodam crepusculum inter tenebrasque domum reverteretur, quidam personatus homo immani corporis magnitudine ex abdito post saepem appareret eumque a tergo aggrediretur. Aggressori favit Camillus birota impeditus, de cuius manubrio gubernabili fisci-

na septuaginta ovis repleta pendebat. Pertīcā ille Camillum fortiter ita verberavit, ut strepitus fieret. Deinde Idem quasi terrā devoratus evanuit.

Camillus nemini de hoc eventu vel minimum quid narravit. Postquam domum reversus ova tuta collocavit, in ecclesiam iit cum Christo consultaturus, sicut dubiis emergentibus facere solebat. "Quid faciam?" Camillus interrogavit.

"Inunge dorsum aliquo oleo et sile", Christus de altari respondit, "ignoscendum est, cum offendimur. Haec est regula."

"Bene," Camillus interpellavit, "sed hic agitur de verberibus, non de offensione."

"Qualia sunt haec verba?" Jesus summisserespondit. "Num iniuriae corpori inflictae acerbiores sunt quam quae sunt menti inflictae?"

"Concedo, Domine. Sed necesse est consideres Te ipsum offendi, si quis servus tuus verberatur. Multo magis te specto quam memetipsum.

"Nonne ego multo magis servus Dei eram quam tu? Et nonne ego etiam illi ignovi, qui me crucifixit?"

"Tecum colloqui impossibile est", inquit Camillus finem dicendi faciens, "tu semper recte dicere vis. Fiat voluntas tua. Sed memento tibi imputatum iri, si latrones isti silentio meo firmati aliquando caput meum contuderint. Ex vetere testamento quaedam facta enumerare possum..."

"Camille, tu me vetere testamento? Bene, mihi omnia imputentur. Ceterum - inter te et me sit dictum - nonnulla verbera tibi non nocent, quia disces mea in domo a rebus publicis abstinere." Camillus ergo ignoverat. Hoc autem in animo remansit sicut piscis spina in gutture: cupido inveniendi, quis ipsum verberavisset. - Tempus labebatur. -

Camillus quondam horā serotinā in confessionali* sedens per cancellos vultum Pepponis, ducis extremae factionis sinistrae, agnovit. Peppo in confessionali - hic erat eventus, ad quem hiare oportuit. Camilli vultus nitebat:

"Domine tecum, frater mi, potius tecum quam cum aliquo alio, cum imprimis divina benedictione indigeas. Existimo perlongum ab ultima confessione temporis spatium transactum esse."

"Ultimam(confessionem) feci anno 1918^o," Peppo respondit. "Ante oculos ponas tot peccata, quae his triginta annis nisi paganica cogitans commisisti!"

"Equidem sunt complura," Peppo suspiravit.

"Quaenam, exempli gratiā?"

"Exempli gratiā: duos abhinc menses te verberavi."

"Causa gravis," Camillus respondit, "servum Dei offendens Deum ipsum offendisti."

"Iam pridem me paenituit," Peppo clamavit.

Praeterea te non ut servum Dei, sed ut adversarium in rebus publicis verberavi. Erat imbecillitatis."

"Praeter hanc et vestrae diabolicae factionis participationem suntne tibi alia peccata gravia confitenda?"

Peppo saccum excussit, cui omnibus rebus consideratis non multum inerat, et a Camillo poena vicies orationem dominicam** et salutationem Angelicam*** dicendi iniuncta dimissus est.

Cum Peppo ad cancellos genuflexisset, ut poenam lueret, tum etiam Camillus coram crucifixo in genua procubuit. "Jesu," inquit, "ignosce mihi, sed nunc istum álapā caedam." "De hoc ne cogitaveris quidem," Jesus respondit, "ego ei veniam dedi, ergo et tu ei veniam dare debes. Si omnia bene consideras, vir sincērus est."

"Jesu, noli confidere istis russatis. Sunt enim

dolosissimi. Aspice eum: nonne ei est vultus latronis?"

"Est vultus, qualem plerique habent. Camille, cor tuum venenatum est."

"Jesu, si umquam tibi bene et devote servivi, hanc unam a te gratiam peto: admitte, ut istud candēlābrum in eius cervicem cadat. Quidnam est tale candelabrum, mi Jesu?"

"Nequaquam fiat," inquit Jesus, "manus tuae benedicendo, non verberando destinatae sunt."

Camillus suspiravit, genuflexit, secessit. Sed iterum se vertens, ut signo crucis se signaret, inventus est post ipsum Pepponis tergum orationi addicti.

"Optime," Camillus submissimā voce dixit, "manūs benedicendo destinatae sunt, at non pedes."

"Id quoque verum est," inquit Jesus de altari, "sed rogo te, Camille: semel tantummodo!"

Calcis ictus fulminis instar coruscavit. Quem Peppo sine ullā palpebrarum motione recipiens suspiravit surgens: "Istud," inquit, "iam per decem minutas exspectavi. Nunc me multo melius habeo."

"Et ego me!" inquit Camillus exclamans; et erat ei animus levis ac purus caelo sereno similis.

Jesus nihil dixit. Sed ipsi quoque satisfactum esse visum est.

*) cōfessīōnāle, -īs, n. = Beichtstuhl,
It.: confessionale

***) id est: Pater noster

****) id est: Ave Maria

S O L V T I O N E S

=====

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium:

Daniel Weissmann
Tellstr. 30
3014 Bern


secundum praemium:

Dr. Anita Stiefel
Rosenweg 7
8353 Elgg

tertium praemium:

Ida von Matt
Schimmelstr. 17
8003 Zürich

W	² E	R	⁵ A	⁷ R	⁸ U	M
⁹ A	D	I	U	V	A	E
R	U	D	I	A	R	I
¹¹ A	L	E		R	E	N
N	I	M	¹⁵ B	I	¹⁶ A	N
T		I	A	C	E	M
O	M	N	I	U	M	¹⁸ I
R	¹⁹ I	U	M	E	N	T
U	T		L			E
M	O	N	O	E	C	U



Aenigma

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST ! QVODQVE AENIGMA
RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SOR-
TEM REVOCABITVR ! DIES VLTIMA KALENDIS IVLIIS
MCMLXXXI EST !

PRAEMIA SVNT : primum praemium : LIBER
secundum praemium : LIBELLVS
tertium praemium : LIBELLVS



1. simile significans ac 'exitum'
2. dea Romana (Abl.)
3. nomen feminarum
4. agrum colunt
5. flagranti
6. itis

1	2	3	4	5	6
2					
3					
4					
5					
6					



Hoc aenigma composuit Daniel Weissmann.

COLLOQVIVM SECVNDVM ERASMVM

Cari legentes, praeter consuetudinem meam nunc non de me sum narraturus, sed de Erasmi colloquiis quaedam dētraho, quae adhuc nobis cognitu dignissima puto esse et lectu iucundissima. Monstrare enim ea dixerim homines omnium temporum similes esse talesque nos quales Erasmi aequales fuerint. Nomina quidem colloquentium, quae apud Erasmus sunt, taceo, ut vos ipsi, amici, cuius generis et ingenii fuerint, si libebit, possitis iudicare. Id unum dico: litteram A virum, litteram M feminam significare. Audiamus Erasmus!

M: Nonne omnium est bene vivere?

A: Opinor.

M: Qui (=wie) potest autem suaviter vivere, qui non vivat bene?

A: Immo qui potest suaviter vivere, qui vivat bene? (bene im Sinn sittlich gut)

M: Ergo tu probas eos, qui vivunt male, modo suaviter?

A: Arbitror illos bene vivere, qui vivunt suaviter.

M: Sed ista suavitas unde proficiscitur? E rebus extrariis an ex animo?

A: E rebus extrariis.

M: O subtilem abbatem, sed crassum philosophum! Dic mihi, quibus rebus tu metiris suavitatem?

A: Somno, conviviis, libertate faciendi, quae velis, pecunia, honoribus.

M: Verum, si istis rebus Deus addiderit sapientiam, num vives suaviter?

A: Quid appellas sapientiam?

M: Hoc est, si intellegeres hominem non esse felicem, nisi boni animi; opes, honores, genus neque feliciorem reddere neque meliorem.

A: Valeat ista quidem sapientia.

M: Quid si mihi suavius sit legere bonum auctorem, quam tibi venari, potare aut ludere aleam; non videbor tibi suaviter vivere?

A: Ego non viverem.

M: Non quaero, quid tibi sit suavissimum, sed quid deberet esse suave.

A: Ego nolim meos monachos frequentes esse in libris.

M: At meus maritus hoc maxime probat. Sed quam ob rem tandem non probas hoc in monachis tuis?

A: Quoniam experior illos minus morigeros: responsant ex decretis, ex Decretalibus, ex Petro et Paulo (moriger = unterwürfig).

M: Imperas igitur quae pugnant cum Petro et Paulo?

A: Quid illi doceant, nescio: sed tamen non amo monachum responsatorem (= der frech antwortet): neque velim quemquam meorum plus sapere quam ego sapiam.

M: Istud ita vitari possit, si tu des operam, ut quam plurimum sapias.

A: Non est otium.

M: Qui sic?

A: Quia non vacat.

M: Non vacat sapere (= keine Zeit, sich zu bilden)?

A: Non.

M: Quid obstat?

A: Prolixae preces, cura rei domesticae, venatus, equi, cultus aulae (= Dienst bei Hof).

M: Itane ista tibi sunt potiora sapientia?
 A: Nobis sic usu venit.
 M: Iam illud mihi dicito: si quis deus hanc potestatem tibi daret, ut posses et monachos tuos et te ipsum vertere in quodcumque animal velles, an illos in porcos verteres, te ipsum in equum?
 A: Nequaquam.
 M: Atqui sic vitares, ne quis plus te uno saperet.
 A: Mea non magni referret, quod genus animalis essent monachi, modo (= wenn nur) ipse essem homo.
 M: An hominem esse censes, qui nec sapiat nec velit sapere?
 A: Mihi sapio (= mir bin ich gebildet genug).
 M: Et sibi sapiunt sues (= Säue).
 A: Videris mihi sophistria quaequam; ita argutaris.
 M: Non dicam quid tu mihi videaris. Sed cur haec displicet supellex (Hausrat, Einrichtung)?
 A: Quia fusus (Spindel) et colus (Rocken) sunt arma muliebria.
 M: Nonne matronae est administrare rem domesticam, erudire liberos?
 A: Est.
 M: An rem tantam existimas administrari posse sine sapientia?
 A: Non arbitror.
 M: At hanc sapientiam docent me libri.
 A: Ego domi habeo sexaginta duos monachos; tamen nullum librum reperies in meo cubiculo.
 M: Bene itaque prospectum (= gesorgt) est monachis illis.
 A: Feram (ertragen) libros, non fero Latinos.
 M: Quapropter?
 A: Quia non convenit ea lingua feminis.

M: Exspecto causam.
 A: Quia parum facit ad tuendam illarum pudicitiam.
 M: Ergo nugacissimis fabulis pleni libri Gallice scripti faciunt ad pudicitiam?
 A: Aliud est.
 M: Dic istud, quidquid est, aperte!
 A: Tutiores sunt a sacerdotibus, si nesciant Latine.
 M: Immo istinc (= von_daher) minimum est periculi vestra opera; quandoquidem hoc agitis sedulo, ne sciatis Latine.
 A: Vulgus ita sentit, quia rarum et insolitum est feminam scire Latine.
 M: Quid mihi citas vulgum, pessimum bene gerendae rei auctorem? Quid mihi consuetudinem, omnium malarum rerum magistram? Optimis assuescendum est: Ita fiet solitum, quod erat insolitum: et suave fiet, quod erat insuave; fiet decorum, quod videbatur indecorum.
 A: Audio.
 M: Nonne decorum est feminam in Germania natam discere Gallice?
 A: Maxime.
 M: Quam ob rem?
 A: Ut loquatur cum his, qui sciunt Gallice.
 M: Et mihi putas indecorum, si discam Latine, ut cottidie confabuler cum tot auctoribus tam facundis, tam eruditis, tam sapientibus, tam fidis consultoribus?
 A: Libri adimunt multum cerebri feminis, cum alioqui (= ohnehin) parum illis supersit.
 M: Quantum vobis supersit, nescio; certe mihi quantumcumque est, malim in bonis studiis consumere quam in precibus sine mente dictis, in pernoctibus (= nächtelangen) conviviis, in exhauriendis pateris (Trinkschalen).

A: Librorum familiaritas (Vertrautheit) parit insaniam.

M: An colloquia combibonum (Saufbrüder), scurrarum (Possenreisser) et sannionum (Hanswurst) tibi non pariunt insaniam?

A: Sic aiunt.

M: At aliud ipsa loquitur res. Quanto plures videmus, quibus immodica potatio et intempestiva convivia, quibus temulenta (beerauscht) pervigilia, quibus impotentes (unbeherrscht) affectus pepererunt insaniam!

A: Ego sane nollem uxorem doctam.

M: At ego mihi gratulor, cui contigerit maritus tui dissimilis. Nam et illum mihi et me illi cariorem reddit eruditio.

A: Immensis laboribus comparatur eruditio ac post moriendum est.

M: Dic mihi, vir egregie, si cras tibi moriendum esset, utrum malles mori stultior an sapientior?

A: Si citra (ohne) laborem contingeret sapientia.

M: Sed nihil homini citra laborem contingit in hac vita...

A: Frequenter audivi vulgo dici feminam sapientem bis stultam esse.

M: Istud quidem dici solet, sed a stultis. ... Olim rara avis erat Abbas indoctus, nunc nihil vulgatius. ...

A: Unde incidi in hanc feminam? Si quando vises nos, ego te suavius accipiam.

M: Quibus modis?


A: Saltabimus, bibemus affatim (reichlich), venabimur, ludemus, ridebimus.

M: Mihi quidem iam nunc ridere libet.

Erasmus satiram scripsisse apertum est clericos rudes et barbaros suae aetatis carpentem. Tempora mutata sunt: hodie incultos homines inter

clericos imprimis quaerere stultum et ineptum est, neque Erasmus, si nunc viveret, clericos cavillaretur, sed affatim alibi causas utendi acuminis sui satirasque scribendi reperiret. Multifformes videlicet superstitiones stultitiasque vulgi, si viveret, ei praesto essent. At ne fallamur! Etenim inter vulgum numerandi sunt semper uno plures quam quisque putat! Erasmus reapse haberet, quod facete illuderet plurimos nostrum sectantes imprimis divitias lucrumque, incuriosos animi et humanitatis colendae, promptos ad delendam naturam, matrem nostram. Doctorum aequae atque indoctorum superstitiones eum illusurum fuisse, si nunc viveret, pro certo habeo.

Dr. Emanuel Bernard



In forum meat femina

(Es wott es Froueli z' Märit ga)

In forum meat femina, femina,
vir dum manet villula,
tralalalala, tralalalala,
vir dum manet villula,
tralalalala, lala!

"Iohannis, domi maneat,
ova mi retineas!

Fornaci panes insunt sex:
ne urantur, esto lex!"

Cum redit uxor vesperi,
panes non iam integri.

Tum quaerit furens femina:
"Adsint necne, dictita!

Gallinis ova parta sunt?" -
"Galli ova fracta sunt!"

Tum capit cultrum saeviens
virum mori cupiens.

Iohannis linquit villulam,
intrat domum proximam.

"Vicine, audi tristia:
Verberat me femina!

Pugnandum nobis una est,
uxor punienda est!

Malignae istae feminae,
quae sunt stramenticiae!

Sunt viri facti alii:
pigri potus cupidi!"

Quid, audito, foris sit

(Horch, was kommt von draussen rein)

Quid, audito, foris sit! Hollahi, hollaho.
Puella mea praeterit. Hollahiaho.
Praeterit nec inspicit, hollahi, hollaho,
puella mea non fuit, hollahiaho.

Saepe dicunt homines, hollahi, hollaho:
"Falsas cave virgines!" Hollahiaho.
Dum loquuntur, sileam, hollahi, hollaho,
nec amare desinam, hollahiaho.

Cum ab ea nubitur, hollahi, hollaho,
nocte cor refercitur, hollahiaho,
inque mea camera, hollahi, hollaho,
lacrimabit anima, hollahiaho.

Et cum interiero, hollahi, hollaho,
me inferte tumulo, hollahiaho!
Cippum ne posueris, hollahi, hollaho,
gratior myōtosis, hollahiaho!

myōtosis palustris
= Vergissmeinnicht

De Colombo

(Ein Mann, der sich Kolumbus nennt')

Columbus nominatus vir, videvidevitt, bum, bum,
peritus navigandi vir, videvidevitt, bum, bum,
volutis curis pessimis
quaesivit terras in pontis.
Gloria, victoria, videvidevitt, juchheirassa,
gloria, victoria, videvidevitt, bum, bum!

Cum mane lacta biberat, vide...
se lecto laetus liberat, vide...
Nam venit eum visitans
Hispaniae rex properans.
Gloria...

"Columbe", inquit, "optime,
iam saepe delectasti me.
Non plena autem gloria
incognitā Americā!

Hoc statim cum rex loquitur,
Columbus proficiscitur.
Tum clamat: "Adsunt litora!
Quam mihi sunt notissima!"

Ad litus stanti populo
silenti dicit: "Hoc rogo:
Venimus in tellurem quam?"
Tum feri: "In Americam!"

Qui feri clamant territi:
"Detecti sumus miseri!"
At regulus: "Mi optime,
Columbus es certissime!"

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
DONO DATVM ALICVI
Factura subnotationis mit-
tenda est ad adressam infra
stantem.
(ich abonniere RVMOR VARIVS
mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift:

für

RVMOR VARIVS
Postfach 883

CH-8050 Zürich

HIC SOLVTIONEM INSCRIBE
ET CHARTAM MITTE !
DOMICILIVM MEVM :

RVMOR VARIVS
Postfach 883

CH-8050 Zürich


AZ

8050 Zürich

5+6/81

KALENDIS IVNIIS

MCMLXXXI



RVMOR VARIUS

